



1701.

1. Berger, Fr. Henricus: De modis declinandi recognitionem  
et diffensionem instrumentorum.
2. Fischbeck, Christian Michael: De promissionibus juratis et  
extortis
3. Hafening, Christoph. Friedericus: De jure naturalis indispen-  
sabilitate
- 4<sup>a</sup> = Hamelkenius, Philipp Ludovicus: In gratia principis christi-  
ani in reo noxae capitalis.
- 4<sup>b</sup> = Hamelkenius, Philipp Ludovicus: De jure gratia principis  
christiani, in reo noxae capitalis. Von dem Begnadigungs-  
Recht eines Christlichen Fürsten, bey denen es der Leben verurthelet
5. Heber, Georg Michael: De actionibus confessoriae et negatoriae.
6. Heber, Georg Michael: De exceptionibus judicii opponendis.
- 7<sup>a</sup> = Hornius, Kasp. Henr.: De possessione Universitatis, et  
quo modo ab eadem possideatur. 2. Exempl.
- 7<sup>b</sup> = Hornius, Kasp. Henr.: De poena infirmitatis possessionem  
[180. D. N. I.]  
ad l. f. De rei vindic. 3. Exempl.
- 9<sup>a</sup> = Hornius, Kasp. Henr.: De sacramento Juramentum ad l. 9.  
C. unde vi.



1704.

10. Künzler, Andreas: De confessione Petri et eam  
secunda Christi responsione.

11. Müller, Augustus: De lepanaria in re publica

118 <sup>118</sup> ~~Neumann, Dr. Georg~~: De proacris legis et evangelii  
in proxi assidue coniungenda.  
12. Neumann, Christianus: De cura animarum.

14 <sup>14</sup> ~~Sebach, Hunius, Prætor~~: Num in contracta  
innominata Germania presentiam aduoc  
lat?

14 <sup>14</sup> ~~Schraetel, Fr. Paulus, Ordinis juridici~~: Decus  
mus: l. b. s. p. d. (ad Disputationem ... Chris-

14 <sup>14</sup> ~~Sebach, Hunius, Prætor~~: Num in contracta <sup>2. Exempl. . . . to Germania</sup>  
15. Krausius, Gottpetero: De prescriptionis tempore  
Circu hereditatis immixtionem et aditionem.

16. Krausius, Gottpetero: De actionibus bonæ fidei  
et stricti iuris.

17. Inerus, Gottpetero, Ordinis juridici: Decus:

l. b. s. p. d. (ad Disputationem inauguralem Christo-  
phori Theodori Heinemanni inuitat.)



18. Inemus, Godofredus: Virginitatis iuristica in eius, et huius  
observationes forenses.

19. Inemus, Godofredus: De edicto Divi Marci.

20. Wernker, Joh. Balbh.: De clausula derogatoria testamenti  
adjecta

21. Wernker, Joh. Balbh.: De juramentorum veritate, eorumque  
in foro usum

22<sup>a-b</sup> Wernker, Joh. Balbh.: De auctoritate iuris civilis  
circa obligationes naturales.





57/7

Q. D. B. V. 576 32

DE

1701 2

**PROMISSIONI-  
BUS IVRATIS**

METV EXTORTIS,

EX

**PRVDENTIA MORALI,**

*PRAESIDE*

**M. CHRISTIANO MICHAELE**

*Fischbeck*

LANGENSALZ. THVR.

*PVBLICE DISPVTABIT*


AD D. XXIIII MAII c15 15 ccl

*H. L. Q. C.*

RESPONDENS

**IO. CHRISTIANVS MVLLERVS,**

ROTHAV. MISN.



*VITEMBERGAE,*

LITERIS CHRISTIANI GERDESIL






PROMISSION  
DE  
LEVSTVATIS  
MEXICOR  
PRADANTIA MORALL  
M. CHRISTIANO DE  
AD B. M. DE  
DE  
DE  
DE  
DE







544

## PROOEMIUM.

**M**agna omnium iudicio in promissionibus vis inest, nihilque fidei humanae ita congruit, quam ea, quae promissa sunt, custodiri. Hoc enim opus iustitiae est, quae cum maxime tuetur hominum societatem: hoc ipsum iustitiae fundamentum, cui omnia hominum pacta conventaque nituntur. *Cicero 1. Off.* Hinc quemadmodum immortale Numen aeterno iustitiae tenore ad promissa servanda obligatur: ita inscripsit rationali naturae legem, quae ad idem faciendum perpetuo instigat. *GVIL. GROTIUS, de princip. I. N. cap. XV §. 4.* Haec etsi magnum pondus addit pollicitationibus, tamen firmiter vinculum his accedit, sacramenti religione firmatis. Tunc enim iustissimus Deus ut testis et vindex invocatur, eiusque ope auxilioque privari promissor optat, si committat periurium. Quam ob causam sacramenta ab omnibus ubique gentibus sancta fuerunt habita, nec efficacior excogitata est ab antiquis populis, quam iurisiurandi religio, eamque insuper qui habuerit, grande scelus commississe existimatus est. Quae cum ita sint, dubitatum tamen fuit omni aetate, an id iusiurandum servandum sit, quod iniusto metu fuit extortum? Diffiteri non

A 2

posse



possumus, incomparabilis ingenii viros in diversas  
ire sententias propter huius argumenti difficulta-  
tem: qui sane doctorum dissensus me in hac contro-  
versia decidenda fere tardiozem reddidisset. Lae-  
tor autem, non deesse viros non minori eruditione  
praeditos, qui hanc litem egregie composuerunt, quo-  
rum laudatissima vestigia sequi in praesenti, e re mea  
fore putavi. Faxit omnis sapientiae auctor atque  
origo DEVS Optimus Maximus, ut quod eius auxilio  
freti suscepimus negotium, felicissime absolvamus,  
animumque nostrum ita dirigat, ut omnibus, quae  
nobis cumulatisime offeruntur, praepedimentis di-  
motis, patenti via ad verum pergamus, per Iesum  
Christum, Amen.

## Disputationis Summarium.

**I.** *Iurandi causa efficiens explicatur.* **II.** *Eius mate-  
ria.* **III.** *Forma eiusdem.* **IV.** *Metus varietas expenditur,  
et totius causae status dilucidius proponitur.* **V.** *Iurand-  
um vi metuque extortum obligatorium esse, rationibus e-  
vincitur.* **VI.** *Confutantur contrariae sententiae patroni,  
inprimisque VII. et II. X. Sam. Pufendorfius et IX. Cicero.* **X.**  
*Iurandum de re illicita non obligare confirmatur.* **XI.**  
*Expenditur controversia, quid sentiendum, si quis iniquo  
aggressor silentium iurata fide promiserit, se nolle cuidam  
illatam sibi iniuriam manifestare.*

Dum



578

I. **D**um de promissionibus iuratis nos tractaturos affirmamus, quilibet facile intelligit, non de quovis iureiurando agendum nobis esse, sed de iuramento tantum, quod dicitur, *promissorio*. Quod ut intelligatur feliciter, examinabimus ea, quae ad propositam controversiam pertinent, ut eo magis perspicua reddatur. Ac primo quidem perpendenda *conditio eorum, qui iuriurandi religione se obligare possunt*. Videlicet tales hos esse decet, ut *valeant iudicio, sibiqve consent*. Est enim iurandum religiosa affirmatio, qua homo ad faciendam fidem ipsum Deum tanquam conscientiae scrutatorem ac testem, iudicemqve ac vindicem invocat, nisi verum dicat. Vbi sane maxima consideratione opus est, quia cum ipso augustissimo Numine agendum est iuranti, quod gravissime animadvertere in periurum solet. Cumqve huius necessarius effectus sit obligatio, iudicio cum maxime opus est bono viro, ut animum habeat iurandi fidemqve alteri adstringendi, ne peracto sacramento dicat, se sine animo obligandi iurasse. Hinc factum est, ut sapientes huic religiosissimo actui tres comites adiungerent, *iudicium nempe, iustitiam et veritatem*. Iudicium propterea requiritur a promissore, ne temere et inconsiderate, sed cum matura et prudenti deliberatione ad illum procedat. Veritas inesse debet in iuramento promissorio, ut quod promittitur, in tempore et loco praestetur, et omnis verborum ambiguitas tacitaqve interpretatio absit, quae de re egregie differit *Celeberr. Dn. ROEHRENSÉE, Patronus ac Praecipior meus submisit reverenterqve colendus, P. IV class. I § 37 P. 515 seqq. Prud. Moral.* Iustitia deniqve sacramenti comes est, quae praecipit, ne pro re illicita et inhonesta, sed pro iusta et licita iuretur, de qua re paulo post acturi sumus. Neqve enim vinculum iniquitatis id esse debet, nec promittendum illud, quod sanctitati morum, aut divinis praeceptionibus adversatur, in aeternumqve cedit exitium: cum Deus O. M. neminem ad id obligari velit aut possit, quod iustitiae sanctitatiqve suae contrarium est. Arcendi ita-



que ab hac actione sunt omnes, qui uti non possunt ratione, ut sunt furiosi, ebrii, amentes, et qui nondum ad annos discretionis pervenere. Quod ad furiosos attinet, distinguenda sunt furoris tempora et intervalla, ut monet IER. SETSERVS in tract. de iurament. Lib. I cap. IV p. 28. Quaeritur nunc, an qui metu coactus iurando aliquid promittit, animo id faciat bene deliberato sibi que constante, eaque iuratio habeat tres praedictas comites, iudicium, iustitiam et veritatem? quod nos asseveramus.

II. Perpendenda porro est materia iuratae pollicitationis, quae debet esse *res honesta et possibilis*, hoc est, quae divinis humanisque legibus non contrarietur, et nostris viribus perfici possit. Hinc nata est regula iuris: rei impossibilis nulla est obligatio. Inpraesenti autem non id tantum impossibile intelligendum est, quod per se ita est comparatum, ut fieri a nobis nequeat: sed illud quoque, quod per accidens fit impossibile. Per se enim impossibile non est, ut mercator post octiduum decem millia argenteorum persolvat latroni; fieri tamen potest, ut interea temporis incendio consumantur omnes eius fortunae, sicque fieri non potest, ut promissio servetur. Deinde inter iusiurandum illicitum, et de re illicita recte distingvendum est. Nam omne iusiurandum de re illicita illicitum est, quia non debet esse vinculum iniquitatis, nec Deus rebus turpibus sponsor adesse existimandus est; non tamen omne iusiurandum illicitum est de re illicita, quippe quod saepenumero ex his aliisque circumstantiis quandam turpitudinem accipere potest, licet per se fuerit honestissimum. e. g. iurare per falsos Deos est illicitum, nec tamen semper de re illicita. Quando igitur quaeritur: sitne iusiurandum vi metuque extortum obligatorium, adeoque servandum? tunc probe attendendum est, sitne illud de re illicita, an non; alias enim lis haec decidi nequit.

III. Iurata promissio quae in re consistat formaliter, videndum. In eo videlicet, ut Deus maximus ad fidem affirmationi faciendam invocetur, tanquam conscientiae scrutator

ac



549  
ac testis, iudex item ac vindex, nisi verum dicamus. Hinc  
solemnes sunt iurandi formulae: Ego iuro, iuro me  
facturum, per Deum faciam, Deum testor, ita me Deus ad-  
iuret. Hoc tamen non fit propterea, quod sacramentum  
pro testimonio Dei fit habendum, qui cum nec fallere pos-  
sit nec falli, ipse de iurantis veracitate testetur, prout exi-  
stimat ROBERTVS SANDERSON, *praef. 1 § 6 de Oblig. Iuram.*  
castigatus a PVENDORFIO, *Lib. IV cap. II § 2. de I. N. et. G.*  
Sed dum iustissimus Deus testis simul ac vindex invocatur,  
promissor ad augustissimum tremendumque divinae ma-  
iestatis tribunal accedit, atque sententiam plane horren-  
dam pronunciat, se velle Dei favore misericordiaque priva-  
ri, aeternosque sustinere cruciatus, si committat periuri-  
um. Solent vero aliqui ritus inter iurandum observari;  
sed cum eos recensere nimis longum fieret, cupidum lecto-  
rem ablego ad *Sesferi tract. de iuram. Lib. I c. XV p. 79*. Id  
tantummodo moneo, duplicem inesse in iuratis promissio-  
nibus obligationem, alteram, quae Deo fit, alteram quae fit  
homini, cui aliquid promittitur. Hinc quamvis in pro-  
missis metu elicitis tollatur obligatio homini facta, ea ta-  
men, quae Deo quis adstrictus est, salva manere videtur.

IV. Non disputamus de metu iuste illato, utpote qui  
pactum non vitiat; sed de iniuste incusso terrore. Deinceps  
alius est metus gravis, alius levis. Hic nihil derogat fa-  
ctae promissioni. Ut si quis offensionis vel invidiae certo  
futuræ terrore compulsus spondeat aliquid, quod tamen  
si metus abfuisset, nunquam recepisset; haec promissio  
omnium suffragio servanda est, quoniam hic metus non ca-  
dit in virum fortem. Iustum enim et tenacem propositi  
virum non civium ardor prava iubentium, non vultus in-  
stantis tyranni mente quatit solida. *Horat. Od. 3. Lib. III.*  
*Carm.* Alia autem ratio est metus, qui in constantem vir-  
um cadit, ut si periculum adfit captivitatis, omnium bono-  
rum si iactura sit verenda, si infamia, si cruciatus et mors  
ipsa metuenda sit ab iniusto aggressore. Igitur hunc in  
modum formanda est quæstio: utrum iurata promissio in-  
iusto



iusto gravissimoque metu ac vi extorta obliget hominis conscientiam, adeoque servanda sit? Quod ut eo rectius percipiatur, hunc propono casum. *Quidam mercator professionem per silvam faciens incidit in latrones, qui omnem saevitiam in hoc exercent eo consilio, ut internecionem eius faciant. Hic insigni timore percussus, melius salutis suae consulere nescit, quam precibus sollicitando praedones, ut vitae parcere velint, salvumque se dimittant, hanc enim indulgentiam maximo ipsis praemio futuram. Latrones itaque insperati lucri expectatione allesti omnem vim abstinere a miserando viatore, eumque iurare cogunt, ut decies millia argenteorum sibi permittat, simulac domum pervenerit. Hoc in casu quid faciendum mercatori sit, in deliberationem cadit, quem metu coactum fuisse in propatulo est, qui si abfuisset, nullis cohortationibus aut sollicitationibus pervaderi potuisset, ut tam insignem fortunarum faceret iacturam. Homines sane illi bipedum nequissimi supplicis potius, quam beneficiis afficiendi sunt: his enim dudum se caedibus et latrociniiis reddiderunt indignissimos. Fateor ingenuae, rem esse altioris indaginis, in qua quidem explicanda viri incomparabili eruditione multoque rerum praestantissimarum usu excellentissimi multum posuere studii, nihilo tamen minus in diversas trahuntur sententias. Aliqui enim tale iusiurandum pro nihilo aestimant, nec obligare conscientiam putant: rigidiores tamen omnino vim obligandi tribuunt ei, adeoque standum pollicitis esse censent.*

V. Nostra sententia haec est: Si viator nil promissit amplius, quam certam pecuniae summam, standum erit promissis iuratis. Atque haec sententia firmatur I ex ipsa adversariorum confessione, qua omne iusiurandum servandum esse dicitur, quod licitum est, et sine peccato potest servari. Ergo et hoc servandum, quod iniusto aggressori datum est: quia per se nihil habet vitii, nihil quod rationem peccati habeat, aut legibus divinis contrarietur. Quis enim hoc pugnare cum honestate asseveraverit, numerata pecunia vitae periculum evadere, et in tutum locum pervenire? Promissor non iurat plane invitus, cum  
volun-



voluntatem cogere nemo possit, quod est in promptu; sed libera voluntate et destinato consilio fidem firmat, quamvis iniusto metu eo fuerit perductus. Namque hic vir in summo vitae discrimine constitutus est, quod tamen potest evitare, si praedictum argentum praedoni iurata fide polliceatur: huic itaque per omnia iura licet, imo *ἐπιτοφιλία* imperat, vitae curam ut habeat, et ex duobus malis oblati eligat id, quod minus est, pecuniaeque sponcione salutis suae provideat. Quod cum faciat bona fide, quilibet profecto intelligit, hunc virum voluntarie iurare, cum electio sit actus voluntatis, nec quicquam praesto in hac sponcione esse, quod divinis legibus interdictum, aut vituperatione dignum sit. Inde apparet, quod hoc sacramentum sponte prolatum obliget conscientiam, id quod egregie confirmant verba SETSERI: *Iuramentum vi, dolo vel metu extortum iurantem omnino ligat eo casu, quo quis cogitur iurare super factis nullo iure prohibito: etsi enim vis iuri contraria est, ut loquitur Cicero pro domo sua: et iuri maxime adversaria et inimica, ut idem pro Caecinna auctor est: tamen iuramentum etiam vi praestitum obligat. Et ratio est, quia etiam in his, quae vi vel metu fiunt, est voluntas. Lib. I cap. XIX p. 114 de Iuram.* III. Praesto sunt tres iurisiurandi comites, quae sane illud probum efficiunt, iudicium nempe, iustitia et veritas. Neque enim putandum est, iudicio maxime carere id iusiurandum, quod vi metuque extortum est, uti quidam sibi persuasum habent. Rectissime sane iudicat, qui pecuniae dispendium anteponeat periurio, opibusque privari mavult, quam gravissimam iustissimi Numinis vindictam in se provocare. Iustum est hoc promissum, quia continet rem per se licitam et honestam, nec in dispendium aeternae salutis cedit. Veritas quoque inest in eodem, quia sine ambiguis locutionibus conceptum est a viro veritatis amante. IV. Concedimus, si simplici promissione mercator se obligasset latroni, eum non debere numerare pecuniam, quoniam in iniquitate nullum ius fundatur. At enim veron non solum praedoni se obligavit ille, sed ipsi sanctissimo DEO adstrinxit fidem, eius misericordiae renunciando, si committeret periurium.

B

um.



um. Ne itaque nomen Dei temere usurpasse videatur, aut conscientiae gravissimum vulnus infligat, iuratum fidem rescindere nequaquam potest. *Propter Deum, inquit D. IO. ADAMVS OSLANDER annot. ad Groc. de I. B. et P. lib. I. cap. XV. P. 992. qui in iuramento non tantum ut testis et periurii vindex invocatur; sed et fideiussor sistitur, sacramentum tale servandum erit, tum et quia id non est vinculum iniquitatis. Non enim iniquum esse intelligitur pecuniam solvere pro redimenda vita, et praestare hoc, ut iusurandum religione se liberet; tum denique quia hoc iuramentum non est contra bonos mores. Non enim solvendo pecuniam comprobatur latrocinium; sed fidem servat latrocinii vitio reiecto.* Haecenus laudatissimus ille Theologus interpres. V. Atque hoc ne quidem saniores Philosophi, a Christianorum sacris licet alieni, ignorarunt, quanta sanctitas insit iuratae pollicitationi. Quapropter maximis laudibus effert gravissimus CICERO Pomponium, quod constanter servasset, quae terrore coactus quondam iuraverat. *Lib. III. Offic. Scilicet iusiurandum est affirmatio religiosissima, quod autem affirmate quasi Deo teste promiseris, id tenendum est. Hinc Pythagoras praecepit suis discipulis, ut ad iurandum tarde ac raro accederent, ubi vero semel iurassent, ut profus sacramenti fidem servarent.* VI. In rebus difficilioribus id semper sequendum, quod tutius est, et minus habet peccati: id quod plerique omnes sudent, qui in conscientiis recte informandis operam collocant. vid. *FRID. BALDVIN Cas. Consc. Lib. I. cap. VIII.* Sine controversia autem tutius hoc in dubio est, promissam pecuniam solvere latroni, quam datam fidem frangere, conscientiam laedere et vindictam Dei in se derivare: cum primis cum hoc in casu utilis certet cum honesto, potior sane ratio honestatis est habenda, quam utilitatis. v. *Balduin. L. II. cap. IX. cas. 12. libri allegari.* H. *GROTIUS Lib. II. cap. XIII § 14. de I. N. et G.* VOLFGANG. *ADAM. LAVTERBACH. tract. de Iuramentis § 41. sequi.* ubi multorum et Theologorum et Iureconsultorum facit mentionem, qui hanc nostratam tenent sententiam.

VI. In his itaque, quae in medium produximus, argumentis cum satis existimem praesidii positum esse, per se patet,



patet, hanc sententiam iure suo praefendam esse alteri. Videbimus tamen, quibus rationibus contrariae opinionis patroni hanc nostram labefactare moliantur. Dicunt autem, hoc turpe factu, et contra bonos mores esse, dare latroni tanquam latroni propter vim et metum illatum, sine quo interpositam iusiurandum non esset. Veruntamen non monere hic non possumus, mercatorem non persolvere latroni pretium, quatenus vel quia latro est, sed quia ei promisit: neque enim vis metusque est causa proprie dicta huius largitionis, sed tantummodo conditio sine qua non, quae si abfuisset, nunquam potuisset persuaderi, ut ex re sua familiari impii huius libidini satisfaceret, aleretque luxuriam. Ergo frustra hoc factum turpitudini ducitur, et perperam dicitur pugnare cum bonis moribus. Affertur e quidem huius asseverationis unum alterumve documentum; sed frustra. Primo dicitur, dare latroni ob promissum vi extortum, esse hoc factu vim illatam comprobare: hoc autem facere esse contra bonos mores. Vbi quidem concedere possemus, pugnare omnino cum honestate morum, patrocinari sceleribus, in totius civitatis exitium cedentibus. Sed valde dubito, num mercator faciendo id quod pollicitus est, aggressoris sui iniquissimam vim ac crudelitatem approbet, utpote qui honestatis amantissimus est, de quo ne quidem cogitandum, quod probaturus sit iniustitiam honestis moribus humanaeque naturae contrariam. Dicerem potius, eum ex animo abhorre hanc saevitiam, nihilque magis in optatis habere, quam ut longissime abfuisset ab hoc periculo: quoniam tamen semel recepit numerare pecuniam, hinc iustitiae amore ductus rei familiari potius damnum asserere, quam divinum Numen iratum sibi reddere cupit. Quod si praedones deinceps hac pecunia abutantur, et iniquitatem augeant, culpa non magis in viatorem transferri potest, quam in vinum, si quis eodem nimum sese ingurgitat, eoque sepultus committit homicidium. Pergunt *ei est evayrias*, hoc ipsum esse turpe et contra utilitatem publicam, eo quod praedo propter vim publice male meritis dignus sit, non qui maleficii praemium accipiat, aut





lucro augeatur, sed potius qui egestate publice laboret. v. *Setzer. cap. XX l. all.* Imo vero hoc factum cedit in utilitatem publicam ideo, quod hoc modo respublica retinet civem iustitiae veritatisque diligentem, qui alias immerita morte interemptus fuisset. Praedo propter vim publice exercitam mala cuiuscunque generis promeruit, atque hac pecunia dudum se reddidit indignissimum, eam tamen quis dixerit praemium esse iniustitiae? Iniustus enim homo nihil effecit, quod praemio sit afficiendum, quia tamen fidem simul ut testis et vindex invocaretur, ideo datam fidem iure merito liberat, ne Dei experiatur vindictam, quae cito pede perierum insequitur. v. *Baldwin. l. all. Perkinf. Cas. Consc. Lib. II cap. XIV cas. 4. Sanderson. de Obl. iur. prael. IV sect. XVI p. 125.*

VII. Cum iam maximas difficultates, quibus haec controversia implicita est, e medio sublatas esse autumarem, auget easdem Illustris PVFENDORFIVS, Vir omni mea laude superior, qui iusiurandum vi metuque extortum nullius momenti esse arbitratur. Plane enim exspirare docet obligationem, si in homine, cui promittitur, vitium sit, ob quod recte acceptare promissum is non possit. Neque enim Deo promisi, neque dixi, in honorem et gloriam divini nominis latroni dabo, verba eius sunt *lib. IV cap. II § 8 de I. Net G.* Vbi quidem largimur, quod in hac pollicitatione expiret obligatio facta homini, iniustum terrorem incutienti: quia in iniquitate nullum ius fundatur. Constat autem inter e-ruditos, in promissionibus iuratis duplicem inesse obligationem, unam, quae fit Deo, alteram, quae fit homini. Licet itaque in hoc casu tollatur obligatio iniusto homini facta: tamen quia Deo simul promissio facta est sub renunciatione eius misericordiae, hinc illa sine maxima eius irreverentia insuper haberi nequit. Neque obstat huic veritati, quod non dictum fuerit: in honorem et gloriam Dei dabo latroni. Sufficit, quod Deus ut testis et vindex invocatus fuerit, cuius poenam incurrere cupit promissor, si datam fidem frangat. Sufficit, cedere in gloriam honoremque Dei, si promissor iustitiae rationem habet, et praestat, quae pollicitus



582  
citus est. Vnde autem constabit mihi, pergite moralium doctor, Deo probari, ut ego innocens me bonis meis spoliem, et illa in impium nebulonem conferam, ne ille gratis sceleratus fuerit? Respondeo, haec bona non propterea conferri in nebulonem, ne ille gratis sceleratus fuerit, quippe quam impietatem promissor nunquam non averfatur: sed ut ne agat contra iustitiam, aut Dei vindictam in se derivet, quae omnes periuros expectat. Silentio praetereo, quod nemo habeat exploratum, an latro hoc argentum in iniqua semper studia sit converfurus. Forsan immensa Dei misericordia his opibus emollire vult impium hominis animum, ut suam agnoscat benignitatem, atque ita ab impiis conatibus deterritus, in viam redeat, cum Deoque reconcilietur.

VIII. Porro autem docet idem Pufendorfius: si quis sit, qui evitando simpliciorum scandalo, et ne videatur nomen Dei, quod inter pericula profuit, in tutum subductus irreverentius habere, pecuniae promissae iacturam facere velit, satius utique videtur, Deoque acceptius, eam in pias causas erogare, quam nebulonis alicuius malitiam eadem alere. Idque eo tutius procedit, ubi iuratum fuerit ab eo, in cuius civitate per leges quoque civiles talia iuramenta declarantur irrita. I. all. Sed si perpendamus, nihil mali esse committendum, ut inde boni quidquam nascatur, error huius opinionis facile apparebit. Certe qui huic consilio aurem praeberet, duplex admitteret crimen: primo enim fieret periurus, violando licitum iusiurandum; deinde sumendo pecuniam, quae non in sua ipsius potestate est, eam in pios usus illicito conferendo. Quicquid namque promissum fuit, id non amplius in promittentis, sed in alterius potestate est, cui ille fidem dedit. Pessima igitur haec pietas esset, alienam pecuniam distribuere pauperibus, vel in aerarium conferre, ut nonnulli specioso pietatis titulo svaudent. Deo hoc acceptum esse plane nequit, utpote cui grata sunt dona ex vera fide, sed non ex simulata pietate profecta: illa autem ex scelere proveniunt. Neque vero commoda suppeditari ratio potest, cur cum omnino fidem frangendam et latroni denegandam pecuniam esse aliquis existimaverit, magistratui sit elargienda, vel pauperum egestas eadem



dem sublevanda? Quapropter periculosa haec opinio est, quam licet non omnino improbet, tamen ea recte consuli conscientis valde dubitat *Serferus Lib. I cap. XIX p. 119 seq.*

IX. Opponitur huic veritati auctoritas Ciceronis, quam quidem aestimamus maximi, ita tamen, ut ne nostrae veritati quicquam detrahat. Egregie H. Grotius docet: repudiandus Cicero, cum ait (lib. III Offic.) periurium nullum esse, si praedonibus pactum pro capite pretium non adferatur, ne si iuratum quidem sit: quia pirata non sit ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium, cum quo nec fides esse debeat, nec iusiurandum commune *lib. II cap. XIII § 15 de I. B et P.* Ius enim quod nobiscum natum est, omnibus promiscue fidem esse servandam iubet, nec ab hac lege excludit praedones. Quod si tamen in eorum iniquitate nullum ius fundaretur, nihilominus qui iuravit, obligaretur Deo, ut staret promissis, ne sanctissimo eius nomine turpiter abuteretur. Pufendorfius e quidem tueri conatur sententiam Ciceronis: cum pirata, inquit, sit communis hostis omnium, seu qui citra antegressam iniuriam spoliat seu trucidat, quoscunque natus fuerit, adeoque ex professo perturbet et abrumpat societatem a Deo inter homines constitutam, igitur non debet ipsi prodesse vinculum, quo homines ad institutum Dei sociabiles inter se solentnecti. Cumque is ipso vitae genere atheismum profiteatur, nullum eidem a religione emolumentum accedere debet. *Loco supra allegato.* Vera haec essent omnia, nisi iuratum fuisset latroni et divinae misericordiae renunciatum: quae fides sine periurio violari nequit, nisi quis gravissimam Dei vindictam derivare in se velit.

X. His difficultatibus nunc remotis, patet veritas sententiae nostrae, esse omnino iusiurandum vi metuque extortum obligatorium, si super re licita et possibili factum sit. Quod si vero super re illicita et turpi concipiatur, quod fieri saepissime convevit, non obligat illud et suo iure nullius momenti est. Nam 1) hic valet, quod in eruditorum ore est: Iusiurandum non sit vinculum iniquitatis. Quare cum promittitur, quod divinis humanisque legibus contrarium est, non obligat, imo moraliter impossibile est: quia ob quod factum amissurus

rus




685  
rus est gratiam Dei promittens, ad illud faciendum sub amissionem gratiae divinae alteri securitatem praestare nequit, ita ut in tali casu nec absolutio sit necessaria. *Ib. de iuram. p. 121. seqq.* Maxima ergo iniquitas est, sacramento id promittere, quod est contra Dei voluntatem, eiusque lege prohibitum. 2) Quicquid illicitum est, illud est a divino Numine interdictum, si non semper *κατὰ τὸ ἡγόν*, saltem *κατ' ἀνακολύθωσιν*: quicquid autem lege interdictum est, illud est contra officium, adeoque tantum abest, ut obliget, quod contra legem commissum est, ut potius ad id non servandum obligemur. Hoc perspicuum fit in exemplo Davidis, qui cum ira exacerbatus universam Nabalis familiam interneconi se traditurum iurando minatus esset, idque ob officium contumeliosis verbis sibi denegatum, mutabat tamen deinceps animum, ubi oratione Abigailis delinitus, rem contra Dei praecceptum esse intellexerat. Hinc Augustinus: iuravit, inquit, David temere, sed non implevit iurationem maiori pietate. Denique 3) absonum foret, divinam implorare vindictam, si aliquid fecerimus, quod severissima prohibitionem fieri Deus non vult. Quid enim hoc aliud esset, quam reverentia Dei in eius ignominiam abuti? Neque enim propterea sacramentorum usus institutus est, ut succenturientur sceleribus, sed ut honestis rebus firmitatem addant. *Θεοὶ ἐπὶ καλαῖς καὶ δικαίαις παραλαμβάνονται Φιλῶσιν ὁμολογίαις, ἐν ἐπιείκῃσι καὶ εὐδαιμοῖς*, h. e. Dei ad honesta et iusta, non ad turpia et iniusta pacta adhiberi amant. *Dionys. Halicarnass. l. x.* Hanc ob causam qui ad iniustum bellum proficiscuntur, et in Rom. imperii sinibus tumultuantur, aliisque faciunt iniuriam, solent mandatis avocatoriis cogi, ut ab incepto desistant, ex constit. pac. publ. Carol. V. Imp. sub tit. *Von Mandaten des Kammergerichts wieder friedbrecher*, et ordin. part. 2. tit. 9 § und ob sich cum § seq. ubi necessario ab armis desistere coguntur milites. Neque vero sacramenta ipsis proficiunt, quibus dicto imperatorum se semper audientes fore receperunt: irrita enim sunt talia, quae cum publicae salutis dispendio sunt coniuncta et paci publicae adversaria.

XI. Quae



XI. Quae haecenus proposita sunt, pertinere quodammodo videntur ad decidendam quaestionem: posite mercator solvere iusiurandum? quo promissit latroni, se nemini quicquam de iniuria sibi illata indicturum? Hoc enim accidit saepiuscule, ut iniquus aggressor alterum ad promissam pecuniam cogendam dimissurus talem iurationem exigat, sibi que de securitate eo melius prospiciat. Longe difficilimum est, de hac vexatissima quaestione certi quicquam proponere, cum utrinque praegnantissimae rationes sint praesto. Sunt, qui sacramentum hoc nec salva obedientia, quam DEO et qui eius vicem agit in terris, principi debemus, nec salvo officio, quo alter alteri obstrictus est, servari posse autumant, quia (1) id sit illicitum, adeoque sine peccato servari non possit: neque enim negari posse, id locum dare multorum exitio, quod evitari potuisset, si alter de instanti periculo fuisset commonefactus. (2) Quia homo cum latronibus consentire videatur, si ceteros de periculo monere cesset. Et (3) si vel maxime talis collusio absit, tamen impediri hac ratione iustitiam, improbos confirmari in malicia, multisque aliis modis in pietatem et officium, quod aliis hominibus debemus, peccari. Atque in hac sententia est D. Frid. Balduinus p. 258 libri supra allegati, cum multis aliis. Haec displicent Rob. Sanderfonio, quippe qui tria haec Balduini argumenta prael. IV sect. XVII p. 129. de Obl. Iur. confutare aggreditur. Negat videlicet, talem promissionem illicitam esse, nisi forte (ita enim pergit) casus aliquis insperato emergens rem quo tempore iurabatur licitam reddiderit postea ex accidente illicitam. Nam pro se quidem impunitatem dare iniulto aggressori, illicitum non est, inquit Pufendorfus lib. IV cap. II § 9 de I. N. et G. si autem in his angustiis constitutus probabiliter videat, hoc silentium utilitati publicae obfuturum, et nihilominus sacramento hoc pollicetur, id sane illicitum est. Sic enim se gerendo promissor multorum interneconi praebet occasionem, quam cum prohibere potuisset et debuisset, nec tamen fecit, causa exitii publici moralis est, estque idem, ac si sua manu innocentium caedem fecisset. Ceterum turrisimum fuerit, ut talis promissor in genere admoneat reipublicae praesidem, quo malos homines a provincia arceat, et cives sibi ab hoc vel illo loco caveant. Quod consilium Theologorum Ienenium est apud Dedekenn. Vol. II Consil. Sect. XIII n. X. Reliqua quae huc pertinent, persequi propter chartae angustiam non possum, quapropter hic desino Deo gratias agens, qui hoc in instituto suo auxilio praesto mihi fuit; cui sit laus, honor et gloria in perpetuum.





ULB Halle

001 507 494

3




TA-50L


VD 18











Q. D. B. V. 546 32

DE 1701 2

PROMISSIONI-  
BUS IVRATIS

METV EXTORTIS,

EX

PRVDENTIA MORALI,  
PRAESIDE

M. CHRISTIANO MICHAELE

Fischbeck/

LANGENSALZ. THVR.

PVBLICE DISPVTABIT


AD D. XXIIIX MAII c15 15 ccl

H. L. Q. C.

RESPONDENS

IO. CHRISTIANVS MVLLERVS,

ROTHAV. MISN.



VITEMBERGAE,

LITERIS CHRISTIANI GERDESII.